



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Maivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

M A I V S.

SS. PHILIPPUS ET JACOBUS
APOST. 1. Maii.

Gemino dies hic sole nitet. PHILIPPVS alter, alter JACOBVS est. Ille vix inter hominum piscatores adlectus, captum illico ad CHRISTVM Nathanaelem adduxit, laudatam ab ipso Servatore prædam. Sed & ii, qui à veri Numinis cultu alieni erant, ad JESVM aditum sibi per PHILIPPVM quærebant. Illum in consilio Magister habuit, cum ingenti multitudini commeatum pararet: illo rogante discipulis in filio patrem ostendit. Hinc cum in sortem paucorum totus orbis veniret, provinciam ipse nactus Scythiam, eam facile CHRISTO subegit, victorque sub annum IV. & L. Hierapoli urbe Phrygiæ in cruce triumphavit; cum lapides viles jactantibus, sed pretiosi PHILIPPO triumphalem coronam multò pulcherrimè exornarent. Et hujus quidem triumphus de Barbaris; de Judæis JACOBI fuit. Hic carne & vino à teneris sibi interdixit: longâ precandi consuetudine genibus callum obduxit, qui vel Camelo certaret: eâ famâ sanctitatis fuit, ut ingredi in sanctiora templi adyta uni illi liceret; & vel oram vestis ejus prehendere, partem felicitatis ducerent. Ita rem Hierosolymæ Christianam cum XXX. annos administrasset, anno partæ salutis LXIII. vitæ XCVI. è templi fastigio dejectus, & inter preces, quas pro hostibus suis faciebat, fuste fullonis cæsus est: ut jam me dubium uterque hic Sol faciat, orbine lu-

xerit, an Cælo occiderit pulchrior. *Ex Brev. Rom.*

Nos quoque timore Domini Crucifixos oportet hic omnibus non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsius elementis mortuos esse; illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quod nos speramus momentis singulis mirgraturos. *Cassian. l. 4. de Inst. Renunc. c. 35.*

S. SIGISMUNDUS REX. I. Maii.

QVOTIES noverca ex patre vitricum fecit! Sane SIGISMUNDVM Burgundionum Regem eò artibus suis impulit, ut filium Sigericum, quasi patrem regno exuere cogitasset, vitâ ipse exueret. Verum asperfas filii cruore manus tam multo lavit lacrimis, ut quem sic pœniteret, pœnè innocens dici posset. Monitus tamen ab ignoto nefario quo sene, & suam potius vitam, quam filii (qui cælo frueretur) mortem deslere iussus, ad D. Maurinorum abijt; causamque illi commendavit; ageret hanc, ut suam olim apud DEVM: adesse fatentem reum: supplicia precari, non deprecari: sciret nunc etiam pater Deus; modò olim iudex parceret: quam pœnam tam nocens filius meruisset, tum se monstrasse, cum innocentem occideret. Lacrimis non posse satis elui manus; sanguine posse, sed suo; huic fundendo jam se initium dedisse, cum filii funderet: quem malè libasset, rectius libatarum sese. Et verò damnatus voti est: bellum enim in annum D. XXVI. à Clodomiro Gallorum Rege petitus, captusque, & capite plexus in puteum est abjectus. Sed tam ignobile sepulchrum pœnitentis illustrius cantu suo luminibusque cælum fecit; quin ægri magno numero morti jam proximi sanitatem inde suam hauserunt, itaque quam uni eripuit vitam, longè plura

Ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ: & constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, & sanguis animæ confidentis per lacrimas profluat. S. Aug. in libro 50. Hom.

S. ATHANASIUS EP. 2. Maii.

NON rarò pueritia toti vitæ præluit. Ita ATHANASIVS Alexandriae inter lusus adolescentiæ puer à pueris in Episcopum lectus, natu deinde grandior ab ipsomet cælo est confirmatus. Difficile est dictu, quæ bella jam Pontifex cum Arianis gesserit. Producta in medium concilium muliercula, vim pudori suo illatam mentiebatur ab ATHANASIO, quem ne noverat quidem. Hic alius non nemo suppetias laturus innocentia, ideoque ATHANASIVM sese assimilans; heus, inquit, ego ne vitium tibi feci? mox illa: tu verò ipsissimus. Ita cum & se & impietatem omnium risui exposuisset, exclamant Ariani occisum ab ATHANASIO Arsenium (quem eam ob rem longè illi amandaverant) proferuntque manum velut incantationibus ab eodem devotam. Sed in tempore amici innocentis reduxerant Arsenium. Is itaque in templum progressus, vitæque suæ luculentus ipse testis ostendit, se quidem utramque manum, ceterum accusationem nec caput, nec pedes habere. Exul nihilominus sæpè ATHANASIVS totum pænè orbem pererravit. Annos in cisternâ quâdam latavit quinque, indeque in impios calamo egregiè pugnavit. Fugienti cum hostis instaret, navim vertit, jamque obvius quærenti num ATHANASIVM vidisset, respondit, non longè illum abesse. Ita rectà Alexandriam rever-

fus, in patrio conditorio inter mortuos quatuor menses vixit, inter vivos deinde mortuus anno CCC. LXXII. nunc inter mortuos iterum vivit. Ex Baron.

Sicut fructus non invenitur in arbore, in qua flos prius non apparuerit; sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentia disciplinâ alicujus exercitatione non laboravit. S. Cypr. de 12. Abus.

S. ANTONINUS EP. 2. Maii.

ANTONINVS Florentinorum Præsul, ad CHRISTI in cruce imaginem sublimis raptus, mellitissimis vulnerum osculis aliquandiu inhæsit. Atque ex his illum uberibus hausisse amorem crede, quem in omnes postea pauperes dispensavit, tum ratus præclare se rem administrasse domestica, si domi nec supellex, nec penus esset. Viderat ædibus Cælites insidere; ingressus cum duas ingenuas, sed pauperes virgines operi cum matre intentas reperisset, liberali manu paupertatem sublevavit. Verum cum illæ se luxui deinceps dedissent, pulsisque è tecto bonis geniis mali successissent, ut meliores iterum hospites in ædes immigrarent, emigrare otium jussit. Illud jucundum dictu. Rusticellus canistrum pomis onustum Divo donarat. Hic gratias habuit. At cum ille referri sibi maluisset, ANTONINVS pomis in unam lancem, solennibus verò illis & in chartâ descriptis verbis, *Deo gratias*, in alteram injectis, rem examini permisit; & ecce duo verba pondere suo omnia poma superarunt: ut planè decipi egenos à divitibus videamus, dum hi pro tam exiguâ stipe tam multum recipiunt. Obiit porrò an. M. CCCC. LIX. Ægrotantis verba illa feruntur: *Servire DEO regna-*

3. Maii.

VITÆ SANCTORVM.

225

re est. & illa morientis: Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio. Imò verò ANTONINE, egregiè scivisti: Virgo moriens eam in cælum usque extulisti. Ex Vinc. Mainard.

Ne simus hic negligentes, ut non per infinita secula postmodum pœnitentiam agere cogamur, ubi nihil proderunt lacrimæ. In studiis atque laboribus gaudent Angeli atque Archangeli, sicut contrà in torpore ac negligentia gaudet inimicus. S. Ephrem. tom. 1.

INVENTIO S. CRUCIS. 3. Maii.

GAudent alii crucem, quam cælum mittit, missam amittere; at amissam olim Christi crucem invenisse hodie se gaudet Helena, triumphat. Rei gestæ ordinem hîc habes. Latebat crux terrâ, plus odiis Judæorum sepulta. At Helena, cum primum filius Constantinus Maxentium debellavit crucis sanctissimæ auspiciis, quò grata foret, omnigenio viribusque eruere defossam, orbique adorandam proponere contendit; tunc demum credens thesaurum se reperturam, si crucem. Ita locus à superstitione primum purgatur, & infame Veneris stabulum statuaque dejicitur: mox humus altè egeritur; tandem tergeminae cruces parent, & ponè titulus crucis reflexus. In ipsissimas auri venas offendisse Helenam credidisses. Minuebat tamen lætitiâ publicam illud, quòd quænam ex tribus Servatoris crux foret; sic nondum constaret. Sed opportunum consilium Macarius urbis Episcopus suggessit, iussitque ordine singulas morientifortè tunc mulieri imponi. Pergebat illa ad primæ contactum mori, itemque ad secundæ, ad tertie denique incolumis revixit. Huic Helena templum struere dignum magnificentia suâ, crucem

K 5

cent.

cemque, hoc est aurum, argento includere, partem quoque unam cum auctario (clavis ejusdem) ad filium Imp. transmittere, regium utique donum. Agnovit ille signa victoriarum suarum, & summè veneratus toto imperio edixit, ne, quæ telera salutis foret omnibus, posthac improborum foret supplicium. Clavorum altero diadematis frontem, altero frenos Imperatorios ornavit, ceterus majores nobilioresque uniones neque Indiam posse submittere. *Ex Brev.*

Quisquis desiderat ab omni vinculo maledictionis absolvi, & plenam novæ gratiæ benedictionem consequi, Crucem diligat, ex qua omnis plenitudo benedictionis emanat; per Crucem se Dei mandatis astringat; per Crucem effrenis Carnis incentiva cohibeat. S.P. Dam, *Serm. de Invent. Cruc.*

S. FLORIANUS M. 4. Maii.

FLORIANVM, quem adversus ignium injurias patronum invocamus, aquæ ad Superos transmissit. Diocleriano Cæsare, in Norico Ripario Tribunus militaris agebat, cum institutâ de Christianis quæstione, nomen suum ultrò detulit. Aquilinus loci præfectus fustuario primùm ejus constantiam tentavit; deinde ubi Christi nomen extundi ei posse desperavit, in Anassum flumen præcipitem egit. Impii mandati obedientiam carnifex repentinâ cæcitate luit. Corpus exanime appulsum in scopulos aquila tutata est, Jovis olim, nunc FLORIANI satelles. Ipse Valeriam religiosam feminam ad justa persolvenda corpori suo excitavit, & pietati mercedem persolvit, salubrium aquarum scaturigine, quas ægris bibisse profuit. Igne periclitantibus propitium esse pri-

mus

mus omnium carbonarius experimento didicit; suis, quas ipse sufflaverat, involutus flammis FLORIANVM appellavit, & integro corpore è rogo emerfit. Beneficium luculentius fuit, quàm ut illud obscurare invidia vel oblivio posset. Inde posteris quoque mos traditus est, FLORIANI imaginem cum urnâ aquariâ in fronte ædium dedicandi. Vos illam, ô juvenes, etiam animis tutelam adsciscite, adversus multò tristiora incendia, quibus libido faces subdit, & perenne pabulum omnes corporis sensus subvehunt. Lingua, manus, aures, oculi, fatendum est, incendiarii sunt animæ.

Ex Surio.

O Ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna. S. Hieron. in Ep.

S. PELAGIA V. & M. 4. Maii.

PELAGIAM Tharsensem Diocletiani Deique filius sponsam ambierunt, ille corporis, hic animi pulchritudine captus. Respuit mortalem procum Virgo, & cæleste conjugium præoptavit. Paronymphus Clino fuit Episcopus, quem divinitus sibi ostensum inter montium latebras reperit, ubi edocta est, qualis dos afferenda ad sponsum esset. Ea uno verbo innocentia appellatur, quam beati Genii donum PELAGIÆ tulere, cum lustrico fonte, qui ad Clinonis preces è ripe profluxit, tingeretur. Augusta prætereà Virgo duplici diademate cincta, ut vel hinc terrarum Cælique Dominam intelligas, palàm visendam se dedit, velut sanctorum sponsalium Antistes. Non fuit deinde difficile PELAGIÆ hoc virginali mundo exultæ,

bombycum fila contemnerē. Nimirum non Cæsaris sed Numinis oculis se compfit, cui in sponsa cilicium præ purpurâ placet. Sed neque rivalem diu sustinuit Christus; hunc enim antelatum sibi indignatus Cæsaris filius, versusque ex amore in furorem, gladio pectus transfixit. Diocletianus tamen filium ulturus non fuerat, si Pelagia amorem à Christo ad se transtulisset. Abhorrentem ab eâ conditione novus Phalaris bovi æreo candenti includit, in quo illa, amore veriùs, quàm igne liquefacta est. Exuvias corporis in Linatum montem projectas quatuor leones tutati sunt; Clino in urnam composuit, & monti congregationis nomen indidit. Vos Sodales, qui tituli jure reliquiarum hæredes estis, quod in Pelagiâ pulcherrimum fuit, innocentia vestem, primo loco votoque poscite. *Ex Metaphrast.*

Si luxuria flamma in ossibus aestuat, protinus illam memoria eterni ignis extinguat: si callidus insidiator lubricam carnis speciem objicit, illico mens ad mortuorum sepulchra oculum dirigat, & quid illic suave tactu, quid delectabile visu reperiatur, solerter attendat. S. Pet. Dam. op. 7. cap. 23.

S. MONICA VIDUA. 4. Maii.

HÆc est illa MONICA, quæ Augustinum bis genuit, orbi primùm, deinde cælo, secundo quàm primo partu felicior, dum filio pietatem, alteram hominis animam, quam cum lacte instillare non potuit, plorando infudit. Hæresi Manichæâ mortalissimâ humani generis peste perierat Augustinus; mater sic mortuo affundere lacrimas non antè destitit, quàm Episcopi oraculo recreata est spondentis: *Fieri non posse, ut filius istarum la-*

crimatum periret. Vim nimirum faciebat Deo (uti Augustinus postea jam renatus loquebatur) *cor contritum & humiliatum vidua casta ac sobria, penitensq; ab eo non aurum & argentum, sed salutem animæ filii sui.* Cujus illud primum indicium fuit, quod Ambrosio acquiesceret, & destillante ab illius viri ore ambrosiâ pasceretur, quem proinde non immeritò ut Angelum Dei Monica diligebat; quando verè idem est boni præceptoris, quod Angeli officium, etsi non eadem utrique dignatio impenditur. Compos tandem facta voti sui, & Augustino in tantas succrescente spes, negavit longiore sibi vitâ opus esse, desiderium cæli ad Ostia Tiberina filio professa, cum diceret: *Fili quantum ad me attinet, nullâ re jam delector in hâc vitâ: immorari cupiebam, ut te Catholicum viderem, &c.* Neque multò post terris excessit, hoc unum precata à filiis, ut ad Domini altare sui meminissent. Nos illam suspiriis repetimus normam & exemplar matrum omnium; nam hodie pleræque non pereuntibus filiis, sed ad Deum abeuntibus lacrimantur, eosque diligendo occidunt. *Ex operib. S. August.*

Primus gradus pietatis est iste, ut quos auctores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis: sed nec vultu ladenda est pietas parentum; meretur cecitatis subire supplicium, qui parentum vultus torvo vultu despexerit. S. Hieronym.

CONVERSIO S. AUGUSTINI. s. Maii.

HOC die Monicae lacrimæ AUGUSTINVM orbî secundum pepererunt; nam hoc Manichæorum erroribus se demum expedivit. Ad id plurimum, ut dixeramus, momenti mater attulit, quæ

filium pessum euntem ex Africâ in Italiam usque secuta lacrimis, pro ejus salute tantum non exculavit sese. Monstravit certè parentibus, quàm parum sit filium mundo peperisse, nisi in spem cæli educetur. Jam duo illi ex Imperatoris aulâ, qui lectâ Magni Antonii vitâ, nuntium mundo remiserant, tantum apud AVGVSTINVM potuerunt, ut exclamaret: *Quid hoc? quid audisti? surgunt in loci & calum rapiunt: & nos cum doctrinis nostris volutamur in carne & sanguine?* Sub hæc luctanti cum animo suo in conspectum se castitas dedit, ingenti omnium ordinum ac ætatum coronâ cincta, digitoque nunc senes aut viros, nunc pueros aut puellas signans, & tu, agebat, *non poteris quod isti aut ista?* mox è cælo etiam vox istiusmodi allapsa: *tolle, lege,* Sustulit ille, legitque: *non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, non in contentione & amulatione: sed induimini JESVM CHRISTVM.* Legit inquam hæc, & ex Manichæo Catholicus, ex Rhetore Ecclesiæ Doctor, ex mundi amatore summo summus contemptor evasit. At nos qui eadem & audimus & legimus, moras moris nectimus, dicitque è cælo nobis ipse Divus, quæ sibi olim dicebat: *An quia præcesserunt, pudet sequi? & non pudet nec saltem sequi?* Ex ipsius D. August. Confess.

Si aurum tibi offeram, non mihi dicis, Cras veniam; sed jam exigit; nemo differt, nemo excusat. Redemptio anima promittitur, & nemo festinat. S. Amb. in serm. de Jejun. & Eleemos.

S. ANGELUS CARMELITA. s. Maii.

Rosam è spinis habe, ANGELVM, inquam, è parente utroque Judæo Jerosolymis natum. Sed

Sed quid dico? ipsæ hæc spinæ in rosas abierunt, cum Cæli REGINA Magistræ his in fide se præbuit, geminamque illis prolem Joannem Patriarcham, ANGELVMque nostrum Martyrem est vaticinata. Ergo cum ad templum Christianorum se recepissent, ibique in sublimi hostiâ talem Christum, qualis olim à cruce pendeat, non dubiis jam oculis vidissent, Christo geniti Joannem primum, tum ANGELVM genuerunt. Hic altioris vitæ rudimenta in monte posuit Carmelo, qui & nomen illi dedit. Abhinc in seipsum primò, deinde in eremum descendit, ubi cum solum se crederet, adesse sibi vidit JESVM, multo maximo SS. agmine stipatum, & jubentem, victorias suas Alexandriam ferret, inde ad palmam in Siciliam contenderet. Huc priusquam Româ iret, DD. Franciscum & Dominicum felici pede offendit. Nam Franciscus repente plenus Numine fatidico ad pedes ANGELI accidit, osculoque his fixo, martyrem voce gratulabundâ salutavit. Sed & hunc vati suo vatem fuisse ajunt, & jam tum cæli nomine promississe Francisco illa vulnera honestissima, alterum haud dubiè nec minus nobile martyrium. Cæterum in Siciliam appulsus, cum Berengarium Comitem incestâ cum sorore consuetudine multis jam annis infamem clam primò, tum palàm castigasset, immisâ hæreticorum manu, in ipso templo, plura vulnera pro concione interque hæc lethale accepit. Atque ex hoc paulò post mortuus, ad cognomines abiit ANGELVS. Ex Bzov. 13. tom. Ann. Eccl. & Ferr.

*Quid ultra debuit facere Christus & non fecit?
Cujus vel saxeum pectus tanta & talis, à tanto & tali
collata multitudo beneficiorum non emolliat? quidquid
igitur*

igitur es, quidquid potes, debes creati, redimenti, recanti. S. Bern. super illud, Regnum Dei, &c.

S. JUTTA VIDUA. 5. Maii.

QUI JUTTAM legis, legentem lege. Nam & illa à teneris vitas legere Divorum gaudebat; sed & quod pauci facimus, facere gaudebat, quæ legerat. Nubilem jam & fugam è mundo meditantem, nuptiæ illustres implicarunt, neque tamen manus virtuti ligarunt. Mundum omnem muliebrem, quem à parentibus & ipsis illustribus nobilissimum acceperat, ad vestienda ornandaque mendicabula omnè contulit, rectè non pulcherrimum micare gemmas & uniones rata, quàm in pauperis Christi centonibus. Jamque eò devenerat, ut decoctâ ingenti dote, necessaria ad vitam mendicare ipsa non sine risu improborum cogereetur. Sed laudavit Christus hanc prodigaliter conspicuus, & iterum ditavit illis verbis: *Omnia mea tua sunt, & tua mea.* Enimverò tam opulentam se ubi circumspexit JUTTA, effusior etiam dehinc vixit. Neque tamen redigi ad incitas potuit liberalis dextera. Iterum Christus illi visus potestatem fecit ex divite cordis sui ærario quas luberet opes depromendi. Illa Sapientiæ sanctioris thesauros deprompsit, ut jam sine alio Doctore arcana fidelicalleret, & in ipsa adyta sanctissimæ Triadis mulier se penetraret. Nimirum neque jam supremam ægram à Christo ad notas delicias invitata miror, neque dubito animum membris solum recta in caelos abiisse, cum versus hos in aërem abiisse inter preces, etiam cum corporis pondere legam. Ex

Bzov. tom. 13, Ann. Eccl.

Suscipiat fidelis anima Auctoris sui atque

*Rectoris
immar*

inmarcessibilem charitatem, totamque se ejus subjiciat voluntati, in cujus operibus atque judiciis nihil vacat à veritate Iustitia, nihil à miseratione Clementia. S. Leo serm. de Jejun.

S. JOANNES DAMASCENUS. 6. Maii.

ETiam hic JOANNES, cui à patriâ DAMASCENO nomen fecit, inter VIRGINIS cultores in paucis est numerandus. Cum enim Saracenorum Duci à consiliis esset, calamus interim in Leonem sacrarum imaginum hostem strinxit, pulchrum existimans, pro MATRIS capite manum suam objicere. Nam cum literas commentus impius esset Imperator velut ab ipso JOANNE scriptas, quibus Damascum prodere cogitaret, easque Saraceno transmisisset, dextram hic scilicet detruncavit innocenti. Sed precanti & ante icona DEIPARÆ familiarius querenti, quòd ad pugnandū pro ipsius & Filii honore inermis jam esset, ecce tibi auxiliatricem manum VIRGO porrigens, dextram integerrimam restituit, relictâ solum in miraculi vestigium lineâ rubente, quam rectius armillam nos dicemus. Hinc JOANNES sapientiæ sanctioris rudimenta inter Anachoretas discere aggressus, magnos brevi progressus fecit. Fiscellas enim in patriâ jussus vendere, risui scilicet fuit, qui nuper omnium admirationi erat. Jam sordes omnes in cœnobio illâ, illâ non tam suâ quàm VIRGINIS manu jussus purgare, non dubitavit imperio obsequi. Quare manum tam nobili victoriâ splendidam calamo denuò ipsa cæli Imperatrix MARIA armavit, scripsitque illa quæ hodieque orbis omnis miratur. Sed nimirum quæ reddidit, etiam rexit dexteram. *Ex Io. Patri. Hier.*

Nostram

Nostram memoriam repositorium Deiparæ faciamus.
Hoc verò quomodo erit? Ea fuit Virgo, & amatrix Vir-
ginum; Si ergo cum corpore mentem quoque castam ha-
buerimus, inhabitantem ejus gratiam possidebimus.
 S. Jo. Damasc. serm. de Ass. B. M. V.

S. FLAVIA DOMITILLA V. & M.

7. Maii.

ADornabat in centesimum CHRISTI annum
 FLAVIA Aurelio desponsa nuptias, & ad nu-
 ptias sese imprimis: cum Nereus & Achilles, qui
 à cubiculis illi erant, sollicitam moverunt, ut eam
 in comendo curam cælo impenderet, ita fore, ut
 sponsum CHRISTVM nancisceretur. Audiit illa
 tam salubria monentes, repudiatoque mortali
 sponso, immortalis nubentem Clemens Pont. Max.
 ex more Christiano, flammeo involvit. Consilium
 hoc optimum etiam ipsis auctoribus fuit. Nam
 duo egregii illi Paranympsi mox Martyres coro-
 nam primi nuptialem abstulerunt; at FLAVIA in
 exilium missa, dura atque aspera multa perpessa
 est. Post cum Theodoram atque Euphrosynam,
 quæ ad Aurelii amores iterum illam abstrahere ni-
 tebantur, in suam etiam sententiam pertraxisset, &
 ipse Aurelius dum choreas ductaret, subito fato
 corruens, mortuales fecisset, quas nuptiales puta-
 verat; irâ ardens hujus germanus Luxurius, ædi-
 bus in quibus DOMITILLA cum geminis, quas
 memoravimus, virginibus agebat, ignem subjecit.
 Sed nempè tam sanctis nuptiis ille sic tædas præ-
 luxit; sponsarum verò postridie corpora, ut à Cu-
 pidinis, sic à tyranni etiam ignibus integra fue-
 runt, & à tam sanctis flammaram spoliis hodie
 Eluacum Germaniæ civitas splendet. *Ex Suario.*

Despicien-

Despiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiamsi rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quàm, ne diligatur, clamat? S. Greg. 13. Dial.

S. AMATUS CONF. 8. Maii.

AMATO Saludecium patria fuit. Parentibus in tenerâ ætate amissis, multa tulit, fecitque puer & adolescens, etiam viris imitanda. Amor castitatis prima illi bella excitavit, feminâ classicum cantante, proprio sexûs sui genio. Ea fratri AMATI nupta, filiam, quam priore conjugio tulerat, cum AMATO sponsam obtruderet, repulsam ultimis odiis ulta est, quibus etiam fratres collisi sunt, exiguo tamen AMATI incommodo, deputantis in lucro, si virtutis causâ nomē suum amitteret, fieretque exosus: Numinis tamen benevolentiam omnibus officiis captavit, in pauperes tam prodigus, nihil ut sibi relinqueret, sed locatâ promiscuè operâ, famem sustentaret: in emaciato nihilominus corpore flagro ferreo non modò memoriam sed imaginem Christi patientis renovabat; hoc quoque illius affecutus, ut pro malefano habitus publica civium suorum fabula fieret. Sed despectum orbi cælum ad se rapuit, tam familiariter quidem, ut inter castas preces evolantem ad Superos animum etiam corpus sequeretur. Crescentem eo miraculo AMATI famam frater fœdo crimine sugillavit, stupri commercium ei cum Clarâ sorore Deo sacratâ affingere ausus. Sed ambulantem in jus sol absolvit abollam ejus interceptans, suisque radiis sustentans. Iisdem illustrata AMATI est sanctitas; sed ille proditorem suum

suum fugiens, inter sacras peregrinationes confenuit, in hospitali denique pauperū domo, quam suis impensis erexerat, mortuus. Corpus nondum extabuit, suaque integritate fratris calumniam etiam in tumulto refutat. *Ex Phil. Ferrar.*

Qui orationi vacare desiderat, suasque postulationes offerre altissimo, sic se componat intus coram oculis Domini, ut non minus ipse, quam ejus acceptabilis fiat deprecatio. Non placet Deo orationis sacrificium, nisi placeat prius ipse, qui offert. B. Laurent. Justinian. Fascic. Amoris cap. 15.

S. GREGORIUS NAZIANZENSIS.

9. Maii.

GREGORIUS à patriâ NAZIANZENSIS, ab eruditione postea THEOLOGVS dictus, cum studiorum causâ Athenas peteret, gravi tempestate jactatus, proximè ultimum vitæ discrimen fuit. Quis credat? quò felicitatis venti secundum nunquam tulissent, adversi tulerunt. Cum enim vovisset, si ex his undis emergeret, sanctioribus Baptismi aquis caput mersurum, & vitam inter Religiosos acturum, illico cælum arrisit, & damnatus voti GREGORIUS navim non tam ad terram, quam ad cælum appulit. Porro Athenis commoranti uno eodemque tempore & castitas & sapientia visendam se dederunt, & amanti ambæ lubentes nupserunt, puto ut arguerent juventutem nostram, quæ sine animi puritate sapientiam ducere necquicquam allaborat. Exinde ut in studiis, & legibus monachorum condendis, ita etiam in bello contra Arianos Magno Basilio socius fuit; ausus in ipsum Julianum, in quo adolescente etiamnum Athenis tyrannum latere edixerat, palàm & scribere,

10. Maii. VITÆ SANCTORVM. 237
scribere, & dicere, sævientis vulgi & sara in se
conjicientis clamores velut plausum accipiens.
Sed & Pontifex jam Byzantinus sicario, ab hære-
ticis in necem suam subornato, facilis veniam de-
dit: pòst tamen gravibus iterum seditionum flu-
ctibus agitatus, missâ urbe ac infulâ, in villulâ
patriâ malaciam, in morte denique anno CCC.
LXXXIX. portum reperit. Ex Greg. Presb. apud Sur.

*Cordis contritio optimum est ad percipiendam mun-
ditiam medicamentum. Mox ut germinare inchoave-
rint fœdæ cogitationes, compunctionis gladio interimat
ipsas, qui cordis sui Christum cupit habere possessorem.*
S. Laur. l. de cast. Connub. c. 13.

SS. GLYCERIA & LAODICIUS MM.

10. Maii.

GLYCERIA Macarii III. Consulis F. sexûs sui
miraculum, utriusque exemplum, Antonini
imperio Trajanopoli & Heracleæ triumphavit.
Lampodophoria celebrantibus impiis, ipsa fron-
tem cruce insignita in publicum prodiit, nega-
vitque aliâ lampade sibi opus esse, cum crucis ra-
dios nec ipse quidem Jupiter marmoreis oculis
laturus sit. Fecit dictis fidem comminuta exem-
plò statua, neque ad vindicandam injuriam satis
potens, cum frustillatim in GLYCERIAM jactaretur,
trepidantibus fragmentis munitam cruce He-
roidem contingere. Ferocior tamen Jove suo Sa-
binus præses fuit, & è comâ pendulam lancerari
ungulis jussit, temperante cruciatus Angelo, &
sua in carnifices tormenta regerente: qui deinde
etiam in carcerem abreptæ compedes dempsit,
mensam epulis instruxit, fornacis incendium ex-
tinxit, detractam capiti cutē restituit; quam cum

LAODI-

LAODICIUS carceris custos iterū tribunali sistendam non agnosceret, ejusque fugam luere ferro pararet, revocatum à scelere GLYCERIA Christo asseruit, sponte deinde manus pedesque iis vinculis astringentem, quæ virgo tulerat. Et ille quidem securi addictus ad cælum per compendium abiit. GLYCERIA Diis hominibusque victis, etiam belluas triumphavit. Stetit inter leones agna, neque exhorruit contubernium. Iphis ad eò feris tradidit mores suos, & genuinam rabiem cicuravit; vix cum voce de cælo lapsâ excedere circo victrix juberetur, moriunculam à leonâ impetravit, quæ animæ viam faceret. E corpore oleum fluxit, ne athletic pro innocentia pugnaturis ceroma deesset. *Ex Surio.*

Spiritus subjectam carnem disciplina freno coercet, & ad supernam Hierusalem quotidie ferventis desiderii gradibus festinet. Promissa castitati premia incessanter aspiciat, quorum dulcedine provocatus, quidquid verusitiam callidi insidiatoris opponitur, libero fidei pedes transcendat. S. Pet. Dam. ep. 7. c. 24.

S. GANGULPHUS C. II. Maii.

GANGVLPHO Dynastæ Burgundo corporis, animi, quæque fortunæ propriè imputamus, bonis felicissimo, nihilominus cum malorum omnium extremo malâ uxore conflictandum fuit. Ea præter cæteram morum perversitatem etiam fedis amoribus indulsit, quos denique fons prodidit, & hoc & aliis prodigiis illustris. GANGVLPHO in Campaniâ prandenti simplicissima ad speciem quæstio excidit, quanti fontanam, cui assidebat, hospes æstimaret; sibi enim opidò allubescere. hospes delirium interpretatus, pretium tamen statuit.

statuit. GANGVLPHVS aquam, quanti indicata erat, emit, & se dat in viam; fons, inaudito miraculo, eum sequitur, & Varennis, ubi domicilium habebat, novo ortu erumpit, seridè jam damnante mercimonium suum Campano. Ex hoc ergo fonte calculum levare GANGVLPHVS uxorem iussit, absoluturus eam, si id impunè fecisset. Accipit conditionem cum risu adultera; sed brachium velut ex Vulcani ollâ fœdè ustulatum retulit; nullo tamen, præter divortium, incommodo affecta, ad ingenium rediit, & denique adulterio paricidium conjunxit. Id ubi amator illius (prò pudor! Clericus erat) perpetratum ad prostibulum retulit, infelicem animam cum alvo dejecit. GANGVLPHVM miracula Divis exæquarunt; quæ cum adultera traduceret, infami per omnem vitam supplicio est exercita, quod prodere verecundiores, quàm illa fuit, literæ erubescunt. *Ex Surio.*

Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, ut quidquid dixeris, juratum putes. De quo Salvator ad discipulos ait, Non jurate omnino: Sit autem sermo vester Est Est, Non Non; quod autè his abundantius est, à malo est. S. Hieron. ep. 14.

S. PANCRATIUS M. 12. Maii.

NON omnes seridè sapere Phryges, PANCRATIUS ipse quoque Phryx ostendet. Quatuordecim non amplius natus annos vitã quàm Christum maluit perdere, quæ quidem summa est sapientia. Principe familiâ, Cledonio patre ortus, eoque mortuo, Dionysio patruo in tutelam commendatus Romam cum eo commigravit, quo tempore Diocletianus, Christiani sanguinis gurges,

ges, totius Imperii viribus ad excindendam innocentiam abutebatur, commodum accidit, ut in eadem regione urbis Romanus Pontifex latiret, in qua PANCRATIVS domicilium collocarat, nimirum ut dignissimâ manu hoc lilium Numini consecraretur; cujus impulsu PANCRATIVS ultro cum patruo illis ab eo tingi aquis petiit, quibus omnes cæli flores rigantur. Voto potitus tam suavem pietatis halare odorem cœpit, ut venaticos Diocletiani canes, omnia Sanctorum vestigia odorantes, non potuerit latere. Raptus ad tribunal quantumvis sanguinarios Cæsaris oculos rapuit, qui tamen præter oris formam nihil intuebatur. Ergo blanditias primum admovit, infantulum appellitans, & filii nomen offerens, si se patrem, & Jovem habere Deum voluisset. Utrumque contempsit, & Jovem quidem generosissimè, negans tam puerum esse se, ut adulterum, & sororis suæ maritum sibi putet adorandum. Diocletianus ne plura audiret æquè erubescenda, jussit hunc omnis elegantiaæ florem demeti, cujus sanguine utinam Mariani rigentur horti; ô quales nascentur Narcissi! Ex Surio & Brev. Rom.

Qui differt in futuram & forsitan non futuram ætatem suam vitam corrigere, certum bonum dimittit procul dubio; & contemnendo, quod perdit, probat non amare, quod expectat, & meretur non accipere.
S. Anselm. ep. 1.

S. EPIPHANIUS EP. 12. Maii.

Iuvar suavitatem divinæ circa teneram ætatem providentiæ in EPIPHANIO agnoscere. Is Phœnix gente, sectâ Judæus, patrem decennis amisit. Accedente ad orbitatem egestate, equum indomitum

mirum à matre jussus vendere, vitium ejus clam non habuit; donatus ob candorē liberaliter etiam in Christianum incidit Cleobium nomine, cujus aspectu efferatus equus EPIPHANIVM excussit, felici casu; Cleobius enim, invocato Christi nomine, afflictum erexit, calcitronem occidit: ea prima scintilla pectori incidit JESV olim amore arfuro; sed nimirum eam facilè Tryphon suffocasset Hebræorum antesignanus, qui EPIPHANIO adoptato, eundem sibi generum desponderat, ægrè ex his pedicis extricandum, nisi eas Tryphonis & filia mors incidisset. Commodum deinde equitanti Lucianus Monachus se obtulit, qui ad pauperis preces, veste se exspolians, extemplò togam puram è cælo accepit. Et causa EPIPHANIO fuit, ut se homini imbuendum permitteret, Numine tam propitio, ut Episcopus ad lustricum fontem properantis vultum radiare, coronamque imminere capiti cerneret. Lætis initiis vita omnis consentanea fuit. Famem, sitim, morbos, dæmones, mortem, cæteraque orbis mala nemo eo potentius coërcuit. Hæreses pestem his omnibus capitaliorem stilo confixit. Miretur viventis miracula juvenis, unum modò, quod jam exanimis edidit, imiretur. Improbam hominem, nudum corpus inspicere tentantem, calce à se repulit, verecundiæ etiam post mortem retinens, quæ hodie ferè omnium virtutum prima moritur. *Ex Metaphr.*

Aversum ab omni voluptate mundi oportet esse animum, nunquam desinente corpus titillare noxiis illecebris, quas experimento constat appropinquantis demonis esse anteambulones, quos tamen, si mens sobria Dei memoriam nunquam deposuerit, nullo negotio prosterneamus. Ex Testamento S. Epiphan.

L

S. ALE-

S. ALEXANDER M. 13. Maii.

NOs, quâ te voce possumus, Christiane miles, excitamus; ALEXANDRVM enim ad certamen pro fide subeundum Angelus animavit, & adversus Maximiani tormenta invictum præstitit. Sed & Pæmenia mater, raro in feminâ exemplo, cælesti hortatori succinuit, ex Italiâ in Thraciam abducti, & iter omne suo sanguine nobilitantis filii comes. Præconio illius ad illustriora passim tribunalia Christum prædicantis, quidquid inter Italiam Asiamque interest, revixit, & relanguescentes Christianorum animos fortissimi juvenis sanguis ad pares ausus accendit. Diu pulchrius hominibus Angelisque spectaculum præbitum non fuerat, neque contineri vel hi vel illi potuerunt, quin identidem applauderent certanti. Omnia passum, quæ Tiberiano Præsidi furoris ingenium dictavit, caput à Cælestino carnifice abscissum est, sed ferrum stringere non antè auso, quam Angehi beati Martyris satellites, ipsomet deprecante, paulò longius ab ejus latere secederent. Corpus in flumen projectum canes extraxere; bini ex iis matri obviam progressi nobilis thesauri indicium fecerunt. Functam ultimo pietatis officio de cælo filius est allocutus paratæ mercedis sponsor. Dolendum ALEXANDRI hujus verè magni virtutibus parem scriptorem non obrigisse, sed illud amplius, tam paucos habere imitatores. *Ex Metaphr.*

Cum fallax hujus Mundi felicitas tot calamitatibus sit obnoxia, cum potentia temporalis tot casibus varianda subjaceat, & rerum ordo sese velut scenica vertiginis alternitate confundat, quis sana mentis à rebus tam

frivolis

13. Maii. VITÆ SANCTORVM. 243
frivolis tamque fugacibus animum non avertat? S.
Pet. Dam. lib. 7. ep. 5.

S. JOANNES SILENTIARIUS. 13. Maii.

Diceret idem jam esse Joannem & MARIAM amatorem. Certè talis ille fuit JOANNES, qui à taciturnitate nomen habet. Etenim magnarum opum hæres earum hæredem esse MARIAM vivus voluit, nobilissimo in ejus honorem templo extracto; ipse vitam cum aliis DEO DEIQUE MATRI devotam egit, tantâ animi integritate, ut nudum, quoad vixit, nunquam se aspexerit, vel hâc unâ sanè verecundiâ VIRGINI charus. Ad infulam subinde omnium votis præterquam suis vocatus, Hierosolymam abiit: ibi cum stellam cruce insignem vidisset, audissetque vocem, quâ præeuntem sequi jubebatur, memor quàm bona dux Stella jam olim fuisset, extemplò in viam se dedit. Nec aberravit profectò, nam rectà in cœnobium amplissimum venit, in eoque VII. annos; in spelæo deinde IX. alios silentio traduxit. Hinc egressus & viarum anfractibus implicitus, à Cælitibus eò iterum reportatus, & contra incursiones Saracenorum à leone est defensus. Tandè ad cœnobium reversus, & post multos annos ab Angelo proditus, Caryotam in petram abjecit. Et ecce continuò hæc simul radices simul germen agere, tum frondes totâ ædiculâ explicare, & post tertium denique diem fructum ferre. Abiit deinde JOANNES ex humanis anno M. LVIII. ætatis C. IX. vir qui vel tacendo meruit, ut omnis de illo ætas loquatur. Ex *Metaphr.*

Loquere sanè, si quid silentio melius & excellentius habes; at ubi silere præstat, quàm loqui, silentio acquiesce.

quiesce. Nosti enim laudatum illud, ordinem labiis constituere, atque alia dicere, alia audire. S. Greg. Naz. S. Moder. in disp. servan.

S. PACHOMIUS ABB. 14. Maii.

Dabit Christianus adolescens victas Stygi manus? cum PACHOMIUS nondum Christianus demonibus fuerit formidini, ut præsente eo vocem mittere non sint ausi, obstupefacti indole ad nutum Numinis aperta: cuius notitiam simul atque hausit, continuo carnem bellum indixit, quam ut generosius sperneret, cælesti ambrosiâ, quâ Christo nomen dedit nocte, est pastus. Monasticus Tyrocinio posito, iussus est divinitus cæteris cogere ex formulâ, quam exaratam ab Angelo accepit, erudiendos. Quos inter celeberrima Theodori est memoria, qui clarâ stirpe genitus, totâ in epulas effusâ domo, hâc cogitatione ictus est, mundi fabularum quàm tristis sit catastrophe, & cum personatis gaudiis larva detrahitur, quàm non juverit ad tempus insanisse. Secutæ sunt lacrimæ, quas mater conata abstergere, ne fugæ quidem consilium filio eripere potuit. Quin adeo cum diu perquisitum delitescere apud PACHOMIUM inaudisset, armata Episcoporum Epistolis irrupit in dicata sancto illius otio nemora, & ad suas admitti delitias, propè cum convitio postulavit. PACHOMIUS, Theodoro copiâ facit salutandæ matris, quâ se ille usurum negavit, nî spondidisset PACHOMIUS, eum sibi congressum olim fraudi non fore, quam in rem cautus senex fidem dare non sustinuit. Priusquam quieti se daret, fessa diurno labore membra sigillatim solabatur; quantillum enim superesse jamjam in beatitatis rosa colloca-

dis?

dis? Quid ad hæc suaviludii nostri, qui nunquam in Dei causâ se meminere fatigatos? *Ex Metaphr.*

Si æterna bona sub aspectum caderent, itemq; supplicia veritatis agnita desertoribus parata, nullius alterius rei desiderium teneret jam terrâ sublimiores, & præteriti temporis acta recolentes cum lacrimis, donec Dei gratia caelesti nos sponso jungeret. Ex dictis S. Pachomii.

S. BONIFACIUS EP. 14. Maii.

Pulchrè BONIFACIUS omnes nominis sui numeros implevit, puer jam multorum pater, nunc sine prætextâ, nunc etiam sine interulâ ad matris sinum redux, & verò jactabundus etiam, quòd tam exiguis panniculis totum CHRISTVM potuisset tegere. Furtum tamen jam tum vel maxime damnavit, eoq; vulpes, quæ subducere matri gallinas amabat, ad præcantis pedes redire coacta, & rapta reddidit, & facinus morte spontè luit. Jam domi sive messem sive vindemiam habere illi cum libuit, licuit. Inde cum ditiores annonam flagellarent, matris omne frumentum in pauperes sparfit. Sed sementem hoc erat facere. Nam cum mater irasceretur tam prodigo, ad ejus preces subita seges totum horreum complevit. Sub hæc cum spem vindemiæ ditioris grando dejecisset, Antistes jam Ferentinus paxillum vini, quod legerat, in omnes testas, ac dolia divisit, præcando deinde tantum non exundare fecit. Certè vasculum mero plenum Gothi duo ex itinere accepisse se putaverant cœnæ fortè unius illecebram. Sed nimirum cellam illi promptuariam circumferebant, non minus etiam, cum viam relegissent, divitem. Fuit cum bene egenis facturus ipse egeret, & duodecim aureos, nepotis peculium, prodigeret. Verum

cum ei nepos vehementius succenseret, ab imagine DEIPARÆ, totidem alios tulit. Recepit itaque suum nepos, plus utique accepturus, si scænon moram dedisset. *Ex Dial. S. Greg.*

Magna res homo, & pretiosa vir misericors. Hac major gratia, quàm mortuos resuscitare: multò namque majus est esurientem pascere Christum, quàm in nomine JESU mortuos suscitare; nam illic tu de Christo bene mereris; hic autè ipse de te. S. Chryl. hom. 36. ad Pop.

S. PONTIUS M. 14. Maii.

PONTIVM vides, cujus operâ factum est, ne milesimus Romanæ urbis annus dæmonibus consecraretur; quod futurum iidem, PONTIO adhuc matris ventre abdito, permissu Numinis, agnoverunt. Julia, id mulieri nomen fuit, Marci senatoris Rom. uxor, eo gravida, delubrū subierat, cum repentè Flamen furiis incitatus, conceptâ mitrâ, hostem Deorum adesse exclamavit, uterum detestans in perniciem Jovis scæcundum. Julia vaticinatione percussâ, scærum necquidquam depellere abortu institit, nato etiam vim allatura, nisi pater vetuisset, utiq; enim Diis ad unum puerum perdendum satis fore virium. Contigit deinde PONTIVM, audito Christianorum carmine, quo Deorum vanitas irridebatur, Religionis amor capi; haustam etiam patri instillavit, purgataque à Deorum larvis domo, primum id formidatæ a dæmonibus indolis specimen dedit. Patris mortuâ dignitate aditâ, Philippis Imp. familiari usu conjunctus est, qui cum in millesimum urbis annum sacrificium Diis pararent, ab eâ mente PONTI oratione deducti, Christo nomina dederunt, ejusque Numini Romanum Imp. dedicarunt. Valeria

no & Gallieno imperantibus, accusatus impietatis PONTIVS, & equuleo impositus, machinam precibus rupit. Ursos in se incitatos cicuravit, rogum extinxit, gladio denique cervices subjecit, usitatâ Sanctorum modestiâ, quorum plerique capite imminuti sunt, superbis puto instituendis hâc potissimum parte indomitis. *Ex Surio.*

Cum homines quotidie immaturo prævienti rapiantur interitum, quid restat, nisi ut hoc brevi puncto, quo vivimus, lapsura quæque velut jam lapsa despicere, & ad ea, quæ permanent, pleno fervida mentis studeamus desiderio festinare? S. Petr. Dam. op. 12. cap. 13.

SS. VICTOR & CORONA MM.

14. Maii.

Auspiciatissima nomina suosque triumphos loquentia, VICTOREM & CORONAM dāmus. Qui tamen sortitò hæc accipis, laboriosæ felicitatis omen accipere te memento; nam cum Victore quis Hercules se componat? Age numeremus Magni Herois labores. I. Digitos articulatim elidendos sine gemitu præbuit. II. In Fornace accensâ triduum desedit. III. Carnes veneno adipatas concoxit. IV. Nervos distendi, solviq̄ue compagem corporis ridens tulit. V. Oleum fervefactum eodē quo gelidam vultu hausit. VI. Suspendus facibus ardentibus ustulatus est. VII. Venenum aceto temperatū pro melle bibit. VIII. Configendam utriusq; oculi pupillam obtulit. IX. Pedibus attractus prono capite triduum pependit. X. cum degluberetur, tyranno tamen insultavit. Hæc invictâ patientiâ perpesso quid mirum est bis senos Angelos cælo coronam attulisse, & minorem insuper alteram pro CORONA militari fe-

L 4

minâ,

mina, quæ sic excarnificatum felicem tamen beatumque ausa dicere digna Deo visa est, quæ non agones tantum illius, sed præmia etiam aspiceret. Annum conjugij alterum, vitæ decimum sextum agebat, quo propius miraculo fuit non trepidasse, cum bina palmarum cacumina ad terram ingenti depressa nisu cerneret, quæ à se invicem iterum discessura mediam distraherent. Alligari tamen se sustinuit, & lacerato corpore, integrum animum caelo intulit. VICTOR, gladio cæsus eam secutus est: sic olim ad astra itum. Nunc coronæ vilius veneunt. Nullæ nos palmæ distrahunt; animum à mûdo avelle, Coronam spondeo, & Victorē appellabo. *Ex S. Pet. Dam.*

Mundo se extraneum homo reddat, ut Deo propensioris gratiæ largitate familiaris adhareat. Mundo mortuus vivat, à terrenis vexationibus se subtrahat, ut velut in sepulchro jam positus in solo Creatoris sui desiderio suaviter requiescat. S. Pet. Dam. op. 12. c. 32.

SS. PETR. PAUL. ANDREAS, DIONYSIA,
MM. 15. Maii.

ITerum triumphantem adolescentiam damus, Ine quis magnam virtutem annis metiatur. Imperante Decio, Lampfaci, in ipsâ turpitudinis patriâ, PETRVS adolescens adorare Venerem justus; ego illam, inquit, cujus vita perpetuum probrum fuit? quæ ex lupâ facta Dea est, neque aliâ gratiâ rempulis à vobis recepta est, quam quod omnium mortalium in verecundissimè peccârit? Hujus dicti libertatem PETRVS in rotâ jussus luere, omnibus contractis ossibus, nec vultum nec animum mutavit; donec gladio ejus patientia finita est. Troadem deinde properanti Proconsuli Nicomachus, audacior quàm fortior, suam in Christum fidem

fidem jactavit, sed sublimis abreptus tormēta non tulit, turpisq; transfuga, ejurato Christo, vix horulam supervixit, quā in rabiem actus commansam dentibus linguam cum infelici animā evomuit. Ejus casum miserata DIONYSIA, sedecim annos nata, illico ad quæstionē, deinde ad lupanar abripitur: sed eam ANDREAS & PAULVS adolescentes Christiani, & utroq; fortior cælestis genius multā circumfusus luce, à vi tutati sunt; illis postridie lapidum jactu obrutis, invidit DIONYSIA tam suavem sub hāc grandine mortem, inque mediam se procellam inferens, suosque amplexa servatores, popularis insanix reliquias exhaustit. Vixit tamen etiam cum detonnisset, & ultimum gladio spiritum impendit. Sed nimirum saxa & sanguinem loquimur: Beatuli nostri ire ad cælum viā lacteā, & calcare rosas volunt. *Ex Surio.*

Noli vita hujus felicitatem pravus hominibus invidere, sed condole: Imò quia ipsi non dolent, potius ingemisce: Qui nimirum velut bruta animalia ad macellum edendo properant, & ad gladium lasciviendo festinant. S. Pet. Dam. lib. 8. ep. 6.

S. D Y M P N A V. M. 15. Maii.

Nisi frontem unā cum oculis amisit improbus amor, erubescet ad infamiam facinoris, quod ipso auctore, sub annum sexcentimum gestum est. Regebat eo tempore Hibernos rex barbarus, nullā re nisi amore odioque filix nobilis. Viduatus conjuge filiam in thorum pellexit, eā quidem formā, cui comparari eo ævo nulla poterat, sed iis moribus, ut non modò incestos amores abominaretur; sed præter Deum nubere omnino nemini in animum induceret. Vim tamen verita ab infano

amatore, cum Gereberno sacerdote fugam ultra mare cepisset, & in agro Antverpiensi sanctioribus se curis addidit. Pater eodem paulò post appulsus, cum illa ipsa imagine signatū argentū exponeret, quā obsonator filix hospiti satisfecerat, ejusdem indicio filia prodita est. Fœda omnia sunt, quæ deinde procius dixit, vel carnifex fecit; malumus tamen spectare sanguinem, quàm audire verba improba & lenonia; quibus cum nihil moveretur, Gerebernus primū tutor pudicitix illius, ferro obruncatus est; Virgo deinde parentis ense cecidit nobilissima castitatis victima. Funus cælum curavit, neque puduit Angelos vespillonum officium occupare, allatis è candido marmore urnis Virginis honori hoc amplius datum, ut nomen ejus gemmæ Angelus inscriberet; eo argumento agnovit posteritas DYMPNAM vocatam fuisse. Ita nunc Alexandri, & manus quibus pingi fingique velitis quærite: Castitas cælatores Angelos habet, & tamen, heu, quàm pauci cupiunt hoc calculo notari! *Ex Surio.*

Eant nunc luxuria dediti, & ad propria carnis arbitrium vivant, ut animâ postmodum & carne simul intereant: nunc medullas mundana dulcedinis sorbeant, ut repleti tunc perpetui cruciatus absinthio totis visceribus amarescant. S. Pet. Dam. lib. 7. ep. 19.

S. UBALDUS EP. 16. Maii.

UBALDVS infulam unam alteramve fugâ declinavit, tertiam eamque Eugubii in patriâ non potuit effugere, Summi Pont. auctoritate captus. Geminis cæcis cum oculos restituisset, tertium idem roganti, docuit libenter oculis carere, qui animum excæcaturi essent. Hostes innumeros
patiantur

patriam obsidentes omnes egit in fugam, cum unicum ipse signū crucis explicasset. Pacis ingeniosissimus artifex, contra injurias cautes inexpugnabilis fuit. Sed utriusque documentum cape. Scissa in factiones geminas urbs, pugnabat in viscera sua. Adest UBALDVS medius inter saxorum & telorum ictus, cadit deinde. Hic verò omnes arma abjicere, damnare discordiam, quæ parricidas cives fecisset. Tum deniq; à piè simulatâ morte surgere UBALDVS, & partam unius eaque ludicrâ morte pacem civibus gratulari. Ultimæ sortis homo, & unico suo cæmento memorandus, Pontificem in calcis scrobē dejecerat, non tam cœno quàm ignominia aspersum. Ilicet amici civesque scelus urbe exigere, & ipsas improbi domini ædes velle demoliri. At ajebat UBALDVS, graviori supplicio vindictæ litandum. Sese vindicem sui exemplum editurū, quod urbs, quod orbis miraretur. Interea pro tribunali sedet: adest reus, vel se iudice nullâ non morte dignus. Ergo sententiâ profert UBALDVS, & inaudito supplicio reum damnat AD OSCYLVM. Non multo sanguine, ais, se vindicavit, sed certè, ut non nemo inquit, rubore multo. Ex *Brev. Rom. Pet. de Nat. & Surio.*

Obediamus Christo, & furentium fratrum morsus, verbera, onera, pietatis Virtute portemus: ut & fratres nostros liberemus à pœna, & patientia præmium consequamur: nec dedignetur servus hoc accipere à conservis, quod Dominus à servis & pro servis dignanter accepit. S. Pet. Chrysol. serm. 28.

S. TORPES MART. 17. Maii.

Raram avem vides, & albo simillimam corvo, Raulicū, inquam, pium ex aulâ Neronis impii.

TOR-

TORPES est D. Paulo familiaris, & in fide, quem admodum fertur, Angeli discipulus. Hic tyranni æmulam cælo machinam, & quâ ille mortalibus velut alter in terris Jupiter illudebat, solis precibus destruxit, flumineque cælos vanissimos & orco merfit. Ilicet Nero Jupiter hoc damno multatus graviter detonuit, omnibusque pœnis in TORPETEM fulminavit, sed ex pelvi. Nam alapam primò Sabellici judicis generosè devoravit. Columnæ deinde alligatus, tortusque crudeliter, Samsone ipsissimus fuit. Quid! quòd corruens columna exitium attulit Sabellico, salvo & incolumi nostro Samsone? Ergo Silvius Sabellici filius, heresque idem crudelitatis, rotæ radiis lacerandū illigavit, bestiis objecit, semper illæsum, quæ res Evellio consiliario Imperatoris persuasit, ut sibi consulere, fidemque Christi amplecteretur tot miraculis probatam. Ambo itaque cæsi securi sunt. Porro TORPETIS corpus fatiscenti naviculæ impositum, additusque gallus & canis, ut illud vel his, vel cum his piscibus foret esca. Sed Angelo remige in Hispaniam appulsum excepit Celerina honestissima matrona, non aliter quàm opes ex divite Indiâ appulsi, tumuloque augustissimo donavit. Addidit deinde pietas Christiana templum. Nam cælum nuper jam Superi dederant, ex quo ille hodie etiam ridet mimicum Neronis cælum. Ex Bar. Pet. de Nat. & tom. 6. ant. lect. Can.

Quatuor sunt, quorum in hac vitâ obsequiis deservimus: Caro, Mundus, Diabolus, Deus. Caro largitur servitoribus suis momentaneam voluptatem: Mundus transitoriam sublimitatem; Diabolus perpetuam captivitatem; Deus interminabilem felicitatem. S. Bern. serm. 3. Epiph.

S. ERI.

S. ERICUS M. 18. Maii.

Sveciæ Rex ERICVS Divorum Regum imagines ante oculos suos velut speculum posuit, ipse Regum oculis hodie proponendus. Patriæ & pauperum præcipuè pater, libidinis æstus glaciali aquâ suffocavit. Multæ pecuniariæ tertiam partem, quamvis ultro oblatam, noluit tamen arario inferri, ne, quod amat fieri, sibi potius consulere, quàm justitiæ videretur. Bella gerebat non tam ut suum, quàm ut Christi regnum amplificaret. Itaque cum Finlandiæ fidem victor intulisset, cæsis hostibus lacrimis fertur parentasse, quòd victis aliter via ad salutem non potuisset sterni, quàm per sociorum stragem. Sed vide obfirmatum ad divina animum. Sacrificanti aderat die Christo triumphanti sacro. Interea cum omnibus copiis imminet Henricus Suenonis filius Daniæ Regis. Arma conclamant alii, & sive pugnae Ducem, sive fugæ Regem exposcunt. At hic, *finite, inquit, militare. reliquum obsequii alibi DEO persolvemus, Poænna in calis cantaturi.* Itaque sacris ad finem pertinax immoratur. Tum demum cruce frontem armatus, aciem subit & pugnam, Numineque ita volente, cadit etiam. Cæterum quo loco sanguinem fudit, fons continuò exortus aquas fudit passim agris salutare. Illud penè excidit: Cilicinum ejus thoracem asservari regiū sanguinis purpuræ etiam hodie rubentem, lorica, qualem hodie in Principum armamentariis rarò videas. *Ex Vite Aquiloniâ Ioannis Vastovii.*

Paratus est Deus & cadentem suscipere & eripera fugientem; ut videri possit relictis omnibus aliis ei soli operam dare: propterea expedit omni animæ Deum

*semper attendere tamquā proprium nō modō adiutorem
sed etiam inspectorem. S. Bern. ser. 5. super Qui Hab.*

S. IVO CONF. 19. Maii.

Hic ille inter Jurisconsultos Phœnix, Ivo est, pauperum Advocatus. His ille linguam suam non vendere, sed eorum causam beneficiis sibi emere. Hinc quotidie hospitio eos suscipere, pedibus aquam affundere, mensæ suæ convivas adhibere; de victu ac vestitu, quod illis adderet, sibi demere, & ne deessent, qui patrem vocarent, binos conjuges unā cum IV. liberis domi suæ in IX. annum alere: ut planè penum IVONIS pauperum posses sinum appellare. Ipse interim tam in se durus, quā in alios benignus, corpus cilicio affigere, somnum humi capere, inter preces septem ipsos dies sine cibo persistere, jejunia legibus Christianis impetrata pane & aquā transigere. Talis igitur Advocatus quid mirum si orationi suæ semper Cælites habuit faventes? Hi certè panem, qui unus suppetebat, in pauperes dispensant, tres alios submisere: hi excrescere sæpè stipem exiguam fecerunt, ut bene multis sufficeret. Ipse CHRISTVS, mendicum præferens, mensæ illius (Superi, qualis hospes?) assidere, & abiturus bene precari voluit. Inde ille jam medicus etiam omnes passim morbos pellere, flammam precibus extinguere, crucis signo per aquas sibi viam facere, demum fati sui non ignarus, stramentis incubare, & morienti, quem manu tenebat, CHRISTO immori, ut ante hominum semper, ita etiam tunc ante DEI tribunal victor. Tam bona, ô Jurisconsulti, pauperum est causa! *Ex Surio.*

Non memini me legisse malā morte mortuum, qui libenter

19. Maii. VITÆ SANCTORVM. 255
benter opera charitatis exercuit: Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. S. Hier. Ep. ad Nepot.

S. DUNSTANUS EP. 19. Maii.

Inter Angelos, quos Anglia genuit, etiam DUNSTANVM numera, cui serum fuit, miracula incunis inchoare; nosci prius, quam nasci voluit. Mater eo gravida Purificatæ Virginis die Numini supplicabat: cum repente extinctis occultâ vi templi facibus, tota urbs cohorrui. Paulò post diviniior ignis, rectâ ad DUNSTANI parentem delapsus, ejus cereum accendit, unde reliqui lumen mutuati matrem novi fideris consalutarunt. Confirmavit postea omen Angelus, qui delatum in templum puellum ad omnes Aras circumduxit, futurum pollicitus, uti ejus operâ Religio refloresceret. Eas spes paulò post morbus labefactavit. Adstabant amici animam agenti, cum ille repente lectulo exiliens, ad templum intempestâ nocte properavit. Eam pietatem cum Stygii canes allatrarent, puer audaciam Cerberorum virgulâ compescuit. Templo exclusum Angeli ad aram subvererunt, ubi postridie sopitum familiares reperere. Hæc præludia fuere crescentium cum ætate virtutum, quarum reliquas usu, castitatem etiam voto firmavit, quæ illum Regina virginum ita conciliavit, ut eidem jam Episcopo cum choro virginum obviam processerit. Jam ipse Dei Filius DUNSTANI acta probavit. Nam cum ejus de Monachis in Canonicorum locum sufficiendis sanctioni intercederetur, Crucifixi imago palàm hanc vocem misit: Non fiet: Judicatis bene, mutaretis non bene. Ad cælum vocatus negavit, se, nisi populum
allo-

allocutus esset, iturum. Idcirco rapi eum necesse fuit; tertium certè cum lectulo in altum subvolavit. Tanta est boni viri in cælo expectatio. *Ex Ser.*

Et nobis pro modulo nostro penne sunt insita, virtutes scilicet spirituales, quibus si viriliter utimur, ad celestia sublevamur; sin autem ex desidia torpore deponimus, necesse est, ut in surripientium vitiorum profundâ mergamur. S. Pet. Dam. lib. 2. Ep. 18.

S. PETRUS CÆLESTINUS

19. Maii.

VNicum modestiæ miraculum. PETRUM CÆLESTINUM vides, qui exemplo antehac invisito, postea nunquam repetito, summo se Pontificatu sponte abdicavit, immortalis memoriæ dignus, etsi eo facinore solo inclaruisset; sed idem tenor totius vitæ fuit, cuius quia partem longè maximam in locis solis exegit, non revocabimus ad illam normam mores delicatæ juventutis, contenti si se cum puero patiantur componi. Simulacrum fieri potuit, illud aureum matri promissum inculcabat, *Volo esse bonus servus Dei*; quod ipsum mater jam tum spe præceperat, cum in recens nato multa Religiosi insignia deprehendisset. Ergo quantumvis arctis domi rebus, in ludum eum literarium misit, patre nuper mortuo consilium de cælo probante, ut totius terrarum orbis bono susceptum. Incidere tamen remoræ permultæ, quibus omnibus perruptis, mater in filioli oraculo acquievit, tum quidem constantissimè, cum pædagogum discenti se Christus offerret, visus nonnunquam de cruce ad eum descendere; ut mirandum non sit, Angelos eam operam non dedignatos; & hi quidem etiam morum ab eo rationem exigebant, nunquam impunè delinquere eum passi. Jam vir-

go Deipara curam valetudinis ejus egit, & altero oculo lippientem recreavit. In hoc contubernio educatus, homines penitus deseruit, uno ejusdem propositi socio comitatus, cui tamen constantia defuit; Petri studiis Angeli applauserunt, quos hodie rariùs audimus, quia aures nostræ Sirenium fibilis occupatæ Angelis non patent. *Ex Suario.*

Christum tanquam signaculum in corde nostro debemus imprimere, ut nulla hoc valeat hostilis irruptio violare: Christum etiam operibus nostris debemus insculpere, ut per omne, quod agimus, Crucifixi nos Præceptoris discipulos demonstramus. S. Pet. Dam. serm. 67.

S. BERNARDINUS SENENSIS.

20. Maii.

BERNARDINO puero aras extruere, quæ ad populum dici pro concione audierat, ad pueros dicere, ludus erant. Qualem nunc serium putas fuisse? Verecundiâ tantâ fuit, ut cum inimicæ castis auribus voces baccharentur, ad quamcunque coronam accederet, illud statim audiretur: *missa isthac nunc facite; siquidem BERNARDINVS adest.* Tantum apud viros potest puer verecundus! Certè puer ejusmodi verba prætextata in viro alapâ castigavit, docuitque frontem effrontem vel invitam erubescere: in alium ejusdem culpæ reum totum puerorum globum coëgit, qui lapidibus scelus urbe proscriberent. Feminas verò ex animo omnes, præter MARIAM, deleverat. Hanc unam ille unicè amare, ad hujus effigiem pro portâ urbis vigilantem quotidie in genua accidere; irridente necquicquam proterviore pueritiâ, cum VIRGO arrideret. Jam ubi inter discipulos magni Francisci annumeratus est, ea fuit dicentis pro virtuti-

tutibus contra vitia libertas, is ardor, ut ad eum
aleas flammis ustulandas omnis urbs comporta-
ret: adeò ut illi, qui his conficiendis vitam susten-
tarat, ultima paupertas immineret, nisi eidem au-
tor BERNARDINVS fuisset nomen JESV deinceps
tabellis insculpendi, quo factum brevi est, ut dire-
sceret etiam. Ipse Divus cum de nomine JESV sa-
pè sapiùs diceret, supra caput suum id ipsum quan-
doque conspicuum habuit sole splendidius. Superi-
ri! quis unquam clarior extitit concionator? Ex
Sario.

*Quid amabilius verecundo adolescente? quam pul-
chra hac gemma morum in vita & vultu illius? quam
vera & minimè dubia bona nuncia spei, bona indolis in-
dex? Quid ita turpiloqui & omnis turpitudinis fugi-
tans? soror continentia est. S. Bern. serm. 86. in Cant.*

S. AUSTREGISILUS C. 20. Maii.

Purpuratum è Regiâ Franciâ Magistrum dabi-
mus stantibus in bivio, & de divinitatis erga
se consilio incertis. AVSTREGISILVS is est, qui a
parentibus ad curam posteritatis impulsus, post
longam frustrationem, trium Dynastarum nomi-
na totidem membranis inscripta aræ imposuit, ad
quam trinoctio pervigilaturum se spondit, eum
deinde socerum optaturus, cujus sibi nomen so-
ritò obtigisset. Verùm alterâ ei nocte somnus ob-
repsit, sed qualis esse solet divina patientium: vi-
dere enim sibi visus est Cælites duos de suo cum
Justi judicis filiâ conjugio colloquentes. Eum ju-
dicem dum vigil postea inquit, vocari ad sacer-
dotium se, curamque Ecclesiæ intelligit, quæ scilicet
ipssissima Justi judicis filia est. Neque displice-
bat conditio à re uxoriâ abhorrenti: injecta ta-
me-

21. Maii.

VITÆ SANCTORVM.

259

men, mali dæmonis invidiâ, aliquantilla prope-
ranti mora est. Betellinus quidam repetundarum
postulatus, AVSTREGISILI nomen apud Guntra-
mum Regem detulit, calumnia tam speciosa, ut
duello purganda fuerit. Ad id diversis se luctato-
res studiis præparabant. AVSTREGISILVS placare
precibus Numen, argentum omne in pauperes ef-
fundere, suis se virtutibus magis, quam armis in-
volvere. Calumniator generosissimo confusus
equo, dum divinâ vi obtorpescentem fodit calca-
ribus, ab eodem efferato effusus animam exhala-
vit. Nemo dubitavit AVSTREGISILO eum pœnas
dedisse; qui eâ curâ liber, sponsæ suæ (Bituricensis
Ecclesia fuit) ex voto Episcopus obtigit. Pro dote
cælum accepit an. DC. XI. nobis quoque aper-
tum, si exemplo ejus non tam diu, quam cum Deo
deliberaverimus, quod statuendum est semel.

Ex Surio.

*Si voci Dei tui preparas aurem interiorem, fuge cu-
ram exteriorem, ut expedito & vacante interno sensu
dicas cum Samuele, Loquere Domine, quia audit
servus tuus. Vox hac non sonat in foro, nec auditur in
publico; secretum consilium secretum quarit auditum.*
S. Bern. Ep. 107.

S. HOSPITIUS C. 21. Maii.

HOSPITIVM qui vidisset, omnibus cooperti
sceleribus crederet; qui nôsset, simulachrum
esse virtutis pronuntiaret. Tanti est, bonum virum
ex cultu corporis, an animi æstimes. Apud Nicen-
sem Gallorum urbem altâ abditus turri, onustus
ferro omniq̃ue reorum squalore deformis, raro
cum hominibus commercio, cum superis æterno
agebat, quibus monentibus, iratum Gallis Nu-
men,

men, & Langobardorum irruptione scelera vindicanda esse intellexit. Aliis autor fugæ factus, ipse ergastulo non excessit, & barbaris per urbem graffantibus in conspectum se dedit: Ii pro malefico habitum ad cædem deposcunt; jamque ferrum supra caput erat, cum repente percussoris brachium obriguit, quod *HOSPITIVS*, signo crucis contra edito correxit. Secuta inde viri æstimatio, hausta ab eo præcepta salutis, quæ qui in aures duntaxat admisere, diro omnes lethi genere perire. Ultimo ante mortem triduo demi sibi vincula passus est: quem cum toto corpore à vermibus depastum non nemo miseraretur, negavit illos sibi convivas graves fuisse: eorum morfiunculis excitatum se ad amandum Deum, non debuisse suis monitoribus cibum invidere. Simul tamen atque beatum cælo spiritum reddidit, totum examen disparuit, mirâ erga mortuum reverentiâ, ut appareret, in vivum ex ejusdem imperio peccasse. Sed condonemus hoc morti jus, & tantâ nutritum curâ corpus cedat in vermium potestatem. Illum vermem time, qui in animo nidulatur, & inter æternas flammæ, omni Salamandrâ vivacior, nunquam moritur. *Ex Greg. Turon.*

Perpende, quia caro, quæ nunc accuratis dapibus nutritur, paulò post vermibus scatere compellitur, ipsa quæ tunc sit esca rodentium, quæ nunc saginatur jucunditate ciborum, ac tantò graviores exhalat putrefacti fautores, quantò suaviorem sibi procuravit educata molliciem. S. Pet. Dam. l. 7. ep. 19.

S. BASILISCUS M. 22. Maii.

Latuit subinde etiam sub militari sago magna virtus, & castra theatrum præbuere Christiana-

næ sanctitati. Nunc BASILISCVM inde produci-
 mus plurium palmarum militem, quem afflictum
 mœrore ferunt, quòd acceptis pro Maximiano
 impio Cæsare vulneribus, guttam sanguinis pro
 Christo nullam fudisset; cum tamen Theodorum
 martyrem proximâ necessitudine contingeret,
 cujus pro fide prælia convitium suæ ignaviæ fa-
 cerent, utique, si virtuti suæ Christus confideret,
 ejus experimentum pridem capturum fuisse. Rarò
 ita cum Superis exoptulatum est; neque susti-
 nuit cæli Imperator tam pia militis sui desideria
 perire; ultro eum allocutione dignatus, memo-
 rem esse voti sui iussit, & dignos tantâ sponsione
 animos afferre in imminentem pugnam; cujus ei
 copiam Agrippa impius Prætor fecit, qui ferro so-
 leatum, clavis plantam penetrantibus, cursu ni-
 hilominus æquare citatam quadrigam coëgit.
 Subinde à Trajanâ hospirio acceptus aridæ arbori,
 sub quâ recubuerat, vitam reddidit frondesque;
 credo ne capiti coronæ deessent: fons etiam ad
 pedes martyris scaturit, hanc vicem reddente ter-
 rā, cum sanguinem ejus bibisset: eo prodigio non
 fitis tantum comitum ejus, sed perfidia etiam ex-
 tincta est. Paulò post etiam alteri elemento im-
 peravit, devocatoque de cælo igne, Deorum de-
 lubricum exussit: ipse capite imminutus, & in pro-
 ximum flumen sparsus, maximo & ultimo mira-
 culo nihilominus ad beatitatis littus enatavit. Ex
 Menais.

*Quid faciemus sub æterni judicis majestate? quæ no-
 bis subventura est pœnitentiā, quam in hac carne con-
 tēpsimus? quæ nos defensiva sunt opera bona, quæ in vitā
 non egimus? ad quos sanctos confugiemus, quorum exem-
 pla simul & verba despeximus? S.P. Dam. lib. i. Ep. 6.*

S. BO-

S. BOBO CONF. 23. Maii.

Quo tempore Mauri Hispaniâ potiti, Galliam
 etiam Narbonensem mali vicini terrebant,
 fuit Bobo noster patriæ suæ propugnaculi instar,
 homo nobilis ceterâ & militaris, sed qui sub sago
 tegere sciret virtutem, raram inter milites arma-
 turam. Fortè hostis Fraxinetum insulam infede-
 rat, & crebris inde excursionibus multum rem
 Christianam vexabat. Hic Bobo ducibus Aposto-
 lorum Petro ac Paulo spolia opima vover, arma
 non hostis, sed sua: positurum se ista, nec Ducem
 jam militum, sed pupillorum patronum fore. Ad
 hæc gratum se quotannis Romam iturum, & li-
 minibus victricibus osculum laturum. Annuê-
 Divi, & per quietem visi animos addiderunt Bo-
 BONI; ille mox militibus, quibuscum per medios
 hostium cuneos arcem ingressus, non modò ob-
 sidione hanc liberavit, sed barbarum regem insu-
 lâ exiit, itaque terrorem à Galliâ longè amovit.
 Et hic triumphus BOBONIS de hostibus fuit; alter
 de ipso BOBONE. Fratricidæ obvius, nutante ab-
 quandiu in vindictam animi acie, sui tandem
 egregius victor, spoliū ex inimici vultu oscu-
 lum suspendit. Porro arma exiit, & orphanorum
 jam Dux annis singulis pedes triumphum suum
 Romam duxit, dum ex itinere denique mortuus
 in cæleste Capitolium est invecus. Mortui tu-
 mulum quotquot animalia calcarunt, in ve-
 stigio mortua monuerunt incolas, ut eum can-
 cellis à profanâ terrâ secernerent, & templo ho-
 norarent. Ossa denique Ticinum translata me-
 morant, pompæque, quò augustior hæc foret.

lumina è cælo, & stellam adfuisse. *Ex Ferrar.*

Confirma amicitiam cum SS. Angelis; intra in civitatem Dei: Apostolis Martyribusq; sociare; unde illi gaudent, inde gaudeto. Horum divitias concupiscito, & per bonam emulationem illorum suffragia ambito: cum quibus enim fuerit consortium devotionis, erit & communio dignitatis. S. Leo serm. 5. de Epiph.

S. SIMEON STYLITES JUNIOR. 24. Maii.

Hominem cælestem, an terrestrem Angelum SIMEONEM malis dicere, tantò magis dubitabis, quantò rectius noveris. Voti parentum concessus futuræ sanctitatis vatem Christi anteaambulonem Joannem habuit, cui ne quid in victus parsimoniâ concederet, jejunia in cunis inchoavit, lævo matris ubere, velut omnis causâ, semper abstinens. Sexto ætatis anno ab hominum consortio in loca sola secessit, nunquam tamen solus, cælitibus easdem cum eo casas habitantibus. Ex quo tempore incommoda naturæ, vel non sensit, vel inusitatis fomentis sustentavit, nectare, vel quocunque nomine appellari lubet delicias divinitatis, pastus. Exacto in hunc modum sexennio in cœnobium immigravit, magnâ Religiosæ vitæ commendatione, quam Angelorum contubernio eo factò videbatur antetulisse. Sed nimirum illic quoque Angelos reperit, haustamque eorum usum innocentiam magnis prodigiis affirmavit; ut, cum leopardum pro fele domestico circumduxit, aut cum ad ejus imperium leo puerum à comitibus desertum, tergo ad socios subvexit, quæ magistro SIMEONIS ansam præbuere, eum ad perpetuam in columnis stationem invitandi. Paruit SIMEON, atque corpore juxta animoque supra terram emi-
nens,

nens, ex communi illius ævi sensu columna fuit sustentans orbem terrarum. Nos cum hæreamus in luto, digito tamen paramus cælum contingere. Ex Menais & Evagrio.

Qui non potest sanguinem fundere, potest semetipsum poenitentia velo percutere, & in cordis contritione macerare. Præparetur, ad feriendum, jugulum, non deest remunerator, etsi defuerit gladius. Deest carnifex, qui cervicem exterius feriat, adest iudex, qui bonæ voluntatis præmium reddat. S. Pet. Dam. serm. 65.

S. ZENOBIUS EP. 25. Maii.

ZENOBIUM pueritiam, vivam honestatis imaginem dicas, in quâ neque Dei oculus quicquam reprehenderet: nullus ei unquam cachinnus, nullum verbum insolens excidit; neque eam venustatem insequens ætas violavit, quin corroboravit verius, ut priscae etiam sanctitatis Antistites Damasus, Ambrosius, Paulinusque ZENOBIUM suspicerent. Mirandorum ejus operum hoc juvenis specimen habeat. Florentiæ, quæ ZENOBIUM patria, & Pontificalis sedes fuit, fratres gemini è flore nobilitatis parentum indulgentiâ corrupti in proterviam, occalluerant ad sera matris imperia, non atrociam tantum dicta, sed calces etiam ingerere bene monenti ausi; quâ impietate exasperata ultra maternum morem mulier, dirâ imprecatione furias in filiorum caput incitavit. Valere vota degeneres illi extemplo infernis obsideri larvis, & impias manus à matre in sese vertere, laniare ora mordicus, & canino invicem duello grassari. Fœditas spectaculi parentis iram misericordiâ mutavit, lamentantis tantum precibus fuisse pondus nulla erat nisi in ZENOBIUM pietate spes, qui horat

25. Maii. duas affusus Cruci, furentes absolvit. Idem benefici-
cium an. CD. XXIV. cælo receptus in agrum re-
petivit, sed eo longè digniorem. Mater nocturnis
ejus obsaturata querelis, potum identidem flagi-
tanti, dæmonem simili voto propinavit, sed ZENO-
BIUS pepulit; utinam & fœdum morem vocan-
tium tam immanes hospites, quasi non invocati
in nos irruerent. *Ex Surio.*

*Solenter animus ante actionis suæ primordia cuncta
debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans semper
contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid ac-
ciderit, superet, & quidquid non accesserit, lucrum pu-
tet. S. Greg. 5. Mor. c. 33.*

S. MUTIUS C. 25. Maii.

AGite mortales, & vel latronem ducem ad cæ-
lum sequimini. MUTIVS hic est, qui in appara-
tu compilandi sacri Parthenonis somno oppressus,
rapi ad divinum tribunal sibi visus, supplicia suis
facinoribus parata intellexit, nisi celeri pœnitenti-
a ipse sibi jus dixisset. MUTIVS recta ad sacratos
profectus viros, animæ vulnerum medicinam eos
poposcit. Tres primum ex odis Davidicis strophæ
ei præscriptæ; quàm ad amissam cum vitam exi-
geret, Superi postea ejus erudiendi provinciam si-
bi depoposcerunt. In eorum contubernio expoli-
tus, scholam denique aperuit ex latrone magister
factus virtutis. Eum sol reveritus est, inaudito
post Josue factum exemplo, ita cursum moderans,
ut non antè occumberet, quàm ille tugurio disci-
puli successisset; quem præter spem defunctum
cum in venisset, rogavit familiariter, an redire in
vitam vellet. Abnuentem valere jussit, & tumu-
lo composuit; quod ille officium tam studiosè
suis

M

suis

fuis impendit, ut nonnemo è sepulchro parceret
 eum sumptui operæque jufferit. Alteri ad mortem
 imparato vitæ triennium impetravit. Ne curâ cor-
 poris à Deo avocaretur, mensam illi Dominici
 diebus Angelus instruxit, cæteros impransus, &
 incœnatus egit. Hunc tamen tam vicinum cæli
 avocare, ad nescio quos Pharaonis thesauros de-
 mon institit. Sed ille Nilum calcare solitus, &
 clausis foribus, quoquo libuisset, penetrare, vi-
 denique etiam ad Cælites reperit, violentus se-
 licet homo, atque uti olim ædibus ita ca-
 quoque vim facturus; nisi spontè patuisset. *vit. PP.*

*Nemo diffidat, nemo veterum conscius peccatorum
 premia divina desperet: novit Dominus mutare sen-
 tentiam, si tu noveris mutare delictum. S. Aug. pl.*

S. CARPUS EP. 26. Maii.

NON est cordi Deo rigida pietas, & justiti-
 misericordiæ oleo non temperata. Id CAR-
 PVS te docebit, qui à Paulo Apostolo Christiani-
 Philosophiâ imbutus, hujus tam præclari & nec
 farii axiomatis aliquando visus est oblivisci. Con-
 pererat Christianæ militiæ tirõnem, ad deserenda
 crucis signa, à dæmonis cultore esse inductum,
 quâ injuriâ ad Deum Opt. Max. pertinente,
 est exacerbatus, ut impia ex æquo capita O-
 devoverit, quòd mediocri supplicio nullo vine-
 tari posse scelus manifestarium, & ultimæ per-
 diæ persuasum haberet: & verò gestiebat anima
 cum dehiscente sub utriusque pedibus terrâ, in
 ferni ignis fumum ferri in ora, ipsosque stantes
 præcipitio similes ruituris aspiceret, impulsus
 etiam, si copia fuisset. Subinde etiam aperiri c-

lum, & Servator generis humani offerre se conspicuum, hortarique CARPVM, si ita ei videretur, ageret miseros illos præcipites, pro quibus ipse sanguinem suum fudisset. Sibi quidem tanto pretio assertos in libertatem, certum esse non deserre, & porrigere manum velle perituris: quin adeò, si necesse foret, non detrectaturum redire ad initium miseriarum, quibus in Cruce moriens finem imposuisset. Plura dici necesse non fuit. Tam mellea verba CARPO bilem absterferunt: & nimirum hodie quoque animorum æstus & inconsulta odia deservescerent, si in sanguine Christi intingerentur. *Ex Dion. Areop. In Patric.*

Par est, ut quisque nostrum non minus gratias agat Christo, quam si ob ipsum solum advenisset; neque enim recusaturus erat, vel ob unum solum tantam exhibere misericordiam; adeò singulos homines pari charitatis mensurâ diligit, quâ diligit orbem uniuersum.
S. Chrys. in c. 2. ad Galat.

S. RESTITUTA V. M. 27. Maii.

ROmæ nata RESTITUTA, denata Soræ nobiles natales nobilissimâ morte illustravit. Nubilis domi tamen clausa egit, & formam, quâ passim iuventus nobilis deperibat, velut ignem custodit, non jam Vestæ, sed Christi virgo. Hujus illa unius thalamum suspirabat, & aliter etiam nuptæ nomen refugiebat. Intereâ invidit Deo sponsam suam, ut solet, orcus, adfuitque minas spirans & ignes. At RESTITUTA nuper jam boni Angelî aspectu exhilarata, risit rivalem deformem, & tam formidandum monstrum in fugam puella egit. Secundum hæc, Christo auctore, ædibus paternis excessit virgo Soram abitura, nec tamen sine comite.

mite. Nam ad Lateranum Angelum invenit, qui toto itinere latus euntis stipavit, dolentis crederet cum urbem aspiceret, quod iter longius non fuisset. Jam sub ingressum, cum miraculo prodita esset (morbum nescio à quo removerat) nobilem hospitem, nobile hospitium carcer martyrum accepit, ita Agathio Procos. jubente. Exin scorpionibus caesa cecinit. VII. dies noctesque sine victu clausa cum Angelis vixit, oblita jam cibi, aspectu satiata. Denique capite unà cum Cyrillo Episcopo aliisque truncata, caelum subiit, cum carcerum custodes, & adeò carnifices miraculis captos eadem viâ nuper jam præmisisset. *Ex Ferrar.*

Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis boni, vivit apud eum memoria beneficii semel accepti. Beatus, apud quem Deus vel semel requiem invenerit; in cujus tabernaculo vel horâ unâ requieverit. Guertius. serm. 3. de Ass. B. M. V.

S. GERMANUS PARIS. EP.

28. Maii.

GERMANO mors nondum nato, ab ipsâ, quae abomineris, matre; nato ab aviâ propinata est. nihilominus inter domestica latrocinia adolevit, veneno priore maternis visceribus, sine noxâ foetus, diffuso, altero ad aviâ filium delato, æquissimo sine dubio errore, ut, cui Germani hereditas quærebatur, idem paratam innocenti pestem biberet. GERMANVM contra Parisiensis mirra expectabat, & in omnes morbos jus, benevolentiam Numinis maleficia mortalium in ejus gloriam vertente. Saliva ejus, vestium lacinia, stramen, quod in cubitu pressisset, vim medicam habere. Hæc alexipharmaca etiam Reges ambiebant.

29. *Maii.* Clotharius, quòd virum sanctum parum civili pro foribus morâ fatigasset, injuriam febriluit, quâ modestior factus, postridie S. viri palliolum osculis trivit, eoque intestinum ignem extinxit. Unicam literulam chirographi ejus delinxisse, monacho biennium ægro salutis fuit. Fugientem animam illustri femina filo de viri veste rapto retraxit. Alteri jam exanimi cum frigidâ vitam infudit. Unicâ voce flammam sopivit, Crucis signo compedes solvit, pupulatores agrorum urfos extinxit, totas dæmonum catervas fugavit. Et tamen hic morborum, & ipsius adeò mortis triumphator, obitûs sui diem non animo modò, sed oculis etiam ingerere non destitit; hoc ad lecti spondam epigrammate affixo, V. KAL. JUNIAS: id quò spectaret non antè intellectum est, quàm eodem die octogenario proximus decederet. Tu, si sapis, ne incerta hora te mortis fallat,

Omniem crede diem tibi diluxisse supremum.

Ex Surio.

Homo lenocinans mundi gloriam sub iudicii sui calcibus deprimat, virorem carnis aridum jam pulverem credat, diem suæ vocationis tanquam speculum suis obtutibus semper anteponat, districtum ultimæ discussionis iudicium contremiscat. S. Pet. Dam. l. i. ep. 17.

S. CONON MART. 29. *Maii.*

Nobilem CONONIS inde æstimo, quòd totis elementis imperavit. Nam & ruentis fluvii impetum tam diu suspendit, dum homines otiosi transfirent; & aliàs latè campos inundantem ad modestiam revocavit veteresque riparum le-

M 3

ges.

ges. Sed adeste & parentes, & filii, & officium vestram discite. Ecce XII. annorum filium pater secum ad tyrannum ducit, idque orat, quod pauci orant parentes: *Liceret secum mori filium videre, ante se etiam; suave sibi fore etiam contra aliorum parentum vota, filio oculos claudere. Sciret iudex totum CONONEM non moriturum, si in filio, hoc est, in dimidio sui, viveret. Itaque simul filium neci daret, si tantum occisum patrem vellet.* Nec verò non lubens comes ierat ad mortem patri filius, utique sic scipio fessæ, & morientis ætatis. Sed & facili aure patres tyrannus audivit. Quare utrumque in craticulam abjicit, igne subjecto formidandam; in plumis diceret molliter decumbere. Oleo bullientis flammis perfundit; inungi ad luctam crederes. In succensam fornacem immittit; ut inter horrorem cum patre filius deambulat. Suspendit patrem, appendit dulcem appendicem filium; flammam iterum subdit, manus invictas malleis frangit. Intererea canere illis arrisit; vis nosse quam suaviter non dubitavit vocem illis suam Angelus jungere, quam ut primum illi audierunt, non placuit jam morari in vitâ, illuc abierunt ubi canere Angelos nunquam non audirent. *Ex Baron. & Paderborn. de Natal.*

Frustra appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conuersatio Magistri forma esset Discipuli, & illam humilitatem eligeret seruis, quam sectatus est Dominus. S. Leo serm. 5. de Nat. D.

B. ANDREAS DE CHIO M.

29. Maii

ANDREAM habes MARIÆ, ut paucis dicam corculum. Juuenis annos natus XXVII. cum

29. Maii. febris æstualet, vovit, si VIRGO salutem donaret, sese ei invicem castitatis florem donaturum. Voti damnatus integritatis propositum palam candidâ veste professus est, ut orbis sciret VIRGINIS eum candidatum esse, & vestium nives virginis animi essent indices. Et quid ni sic candidatus martyrum etiam honores prenaret? Enimverò Constantinopolim abiit eo ipso tempore, quo fidem Christi prodidit, nescio quis philosophus. Quisquis fuerit, hoc etiam nomine indignus fuit. Certè potuit barbatus histrio à juvene ANDREA discere, primum in Christianâ philosophiâ dogma esse, mortem pro Christo contemnere. Captus enim blanditias, & aurea promissa risit. Sævientium verò imperus velut cautes in mari fluctus excepit. IX. omnino dies carnificina duravit. Inter quos potuere Mahumetani flagellis, & uncis lacerare corpus, sed non animum: locis suis artus ejicere distrahereque, sed non in suam sententiam trahere: gladiis humeros secare, membra singula per singulas carnificinas carne spoliare, sed non fide perinde ac constantiâ ANDREAM, qui inter tot dolores oblitus tamen dolorum, unius MARIÆ recordabatur, illud unum semper in clamans: MARIJA juva me, MARIJA juva me. Et verò juvit illa, integrum quotidie corpus ad pugnam suggerens, nec quidquam barbaris hoc medicinæ suæ ascribentibus. Demum omnibus cruciatibus superior, capite minutus est. Corpus templum MARIÆ, animum quid nâ sinus MARIÆ excepit? Ex Savii tom. 7.

29. Maii. In hac lacrimarum exulantes valle clamemus ad Virginem, quatenus agnoscat Mater filios, libera captivos, deliciis caelestibus impinguata famelicos, conver-

rat misericordes obtutus suos ad miseros, & offensi Filii
justitiam flectat ad gratiam. S. Laur. Just. serm. de
Ass. B. M. V.

S. ISACIUS C. 30. Maii.

Movebat in hostem Imperator Valens ipse
DEI longè maximus hostis, ut qui pro Aria-
nis pugnabat, templisque Catholicos arcebat. Oc-
currit eunti ISACIUS noster plenus fatidico spiri-
tu, & libertate Christianâ armatus, monuit, *si pa-
cem in Imperio exoptaret, ne bellum calo faceret: siq[ue]
belli portas claudere percuperet, Catholicorum templa
priùs aperiret; aliter crederet cum Superis sibi bellum
fore, nec nisi sanguine suo, & interitu litaturum Marti.*
Hæc inquam, & similia non semel ISACIUS occi-
nebat Valenti. At hic molestum monitorem in
obvia dūmeta jussit abjici. Scilicet si spinæ illæ
nunquam aliās, tunc certè rosas tulerunt, sangui-
nemque biberunt, quo rectè erubescerent. Et ve-
rò ad formosa spectacula tres Cœlites advolarunt,
gestieruntque à spinis ISACIUM (hoc est rosam)
tollere, qui eadem mox oracula tyranni auribus
ingessit. Tum verò eum asservari inter vincula
jussit Valens, dum redux è bello victorque otiose
rideret vatem suum. At hic abeunti illa alterius
vatis verba dixit, *si reversus fueris in pace, non locu-
tus est in me Dominus.* Enimverò Valens acie vi-
ctus est, & qui fumos vendenti Ario crediderat,
fumo igneque in fugâ periit: at ISACIUS vatis ho-
nores tulit. Illi urbis portæ ad preces, quoties li-
buit, patuerunt. illum mortuum omnis Constan-
tinopolis tam luxit, ut unicum hominem omnium
humeris crederes efferri. Ex Metaphr. & Menol.

Cooperatores sinus gratiæ Dei: non enim dormienti-
bat

31. Maii. bus provenit regnum celorum, nec otio desidiaq; torpenti-
 bus beatitudo aternitatis ingeritur; sed, quia si com-
 patimur, conglorificabimur, illa nobis currenda est via,
 quam ipse Dominus se esse testatus est. S. Leo. serm. 5.
 de Epiph.

B. JACOBUS VENETUS. 31. Maii.

Quid matrem crepas pueritia, quid patrem,
 scopulos sæpè filiorum? Si cælo digna es
 nunquam orba eris, cælum te adoptabit. Ecce JA-
 COBUS cum patre matrem puer amisit. At avia
 ejus, lectissima matrona, matrem illi dulciorem
 MARIAM ostendit, cujus si horarias preces tanti-
 sper recitaret (& tempus definiebat) præmia cupi-
 do pollicita est: quæ etsi illa non persolvit, per-
 rexit tamen JACOBUS officium suum facere, &
 horas Marianas quotidie decurrere. Ita filius MA-
 RIÆ in D. Dominici familiâ patrem etiam JESVM
 invenit, cujus uti nuper MARTÆ, nomen ita ani-
 mo infixum gestabat, uti tunc oblivisci horum
 posse videretur, si patris & matris posset. Ex Divis
 præterea præcipuâ veneratione colebat Ascidum,
 & Victorium M. M. quorum officium dum ad
 XVII. Novemb. in horto recitat, vernum præ-
 mium rosam recentem abstulit, anniversarium
 postea, quemadmodum ajunt, miraculum. Romæ
 quoque D. Sebastiani porta clausa aliis, pietati JA-
 COBI ultrò paruit. Linguae petulantiam si quis-
 quam alius, ille odit. Itaque illud Augustini ex eo
 crebrò audivisses, *Felix lingua, quæ non novit, nisi de
 divinis, texere sermonem.* Obiit anno M. CCC. XIV.
 cum carcinomate IV. annos laborans egregia pa-
 tientia documenta edidisset, certus antè de fato.
 & horâ fati. Reliquit post se, præter binos mor-

tuos in vitam reductos, alia CCC. XXXVIII. miracula, familiarem Divis hereditatem. Ex Bzovis, 14. tom. Annal. Eccl.

*Securum jam habet homo accessum ad Deum, ubi
mediatorem causa sua Filium habet ante Patrem, &
ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus &
vulnera; Maria Christo pectus & ubera: nec potest esse
repulsa, ubi concurrunt & orant: omni lingua diservit
hac clementia monumenta, & charitatis insignia.*
B. Arn. Car. L. de B. M. V.

S IM

S cr

quam

ctitati

ranter

cium

loca pl

in pira

fis pass

lis div

ros, f

expug

Hercu

quidq

perdit

diosq

cam lu

tuo fib

bus su

tunt,

bus ej

innoc

antè d

ret an

so suc

lum v

post n

Bea

orbav